

plurima certum est. Præter Lucretii testimonium :

Somnia sunt canibus panes, mihi somnia pisces,

videmus quotidie feles quoque, capros, equos & alia animalia somniorum terriculamentis agitari ac subito expergisci. Præterea nec *Phantasia* his Animantibus deest, quâ dirigente, impellente simul appetitu moventur utique ad prosequenda salutaria, & vitanda noxia. Ad *Memoriam* denique *Servam* & famulam *Facultatis* cognoscentis & in specie *Phantasiæ* quod attinet, illustra nobis Naturalium rerum Scriptores Exempla hinc suppeditant. Nec obstant asserto nostro eæ *Bestiolæ*, in quibus perseverantia & impressio rei sensibilis haud est; ex quo etiã oritur, ut muscas videamus & vermes egressos ex loco, in quo latent, hæc & illac circumire & oberrare, ut qui ignorent redire rursus, unde exierint. Contra sanè præter *Accipitris*, Suum
„ in primis memoriam, citante B. Sperlingio, nobis com-
„ mendat *Ælianus* sequentibus: Porculatoris, inquit, vo-
„ cem suillum pecus sic agnoscit, ut etiam si ab eò procul
„ seductum fuerit, appellantem intelligat, cui quidem rei
„ testimonio est id, quod proximè sequitur: Cum maris
„ Prædones ad Tyrrenam terram piraticam navim ap-
„ pulissent, ex harã permultos sues furto abactos impo-
„ suerunt in navim, quam solventes ad navigandum in-
„ cubuerunt. Subulci præsentibus Piratis silentium tene-
„ bant, suesque eatenus abduci quiescebant, quoad ex
„ portu latrones se eripuissent & à terra solvissent; Tum
„ voce suibus audiri solitã Suarii, quàm maximè poterant,
„ exclamantes eos retro versus ad se revocabant. Porci
„ primùm ut sublatum clamorem Pastorum exaudie-
„ runt, statim se in alterum navis latus compellentes eam
„ everterunt: malefici piratæ naufragio quàm mox fun-
„ ditus perierunt, sues ad suos enatarunt. Huc usque ille.

Ex